



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Tractatus De Censuris Romano Pontifici Reservatis

Ugolinus, Bartholomaeus

Venetijs, 1609

Vers. Spoliant.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61365](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61365)

membra dentes non numerari, scilicet, quae irregularem reddunt, Innocentius existimauit, etenim verba secundum subiectam materiam intelligenda sunt. argumen. l. si vno. ff. loca. & l. plenum. §. equitij. ff. de usu & habit. at in eo cap. significauit, & in toto eod. titu. de impedimentis, quae irregularem reddunt, agitur, iure igitur dictum Innocentius in hanc sententiam accipiendum est, & de quaestione hac etiam factis. Ex qua habetur ampliatio alia ad propositam regulam, ut scilicet in excommunicationem hanc incidat etiam, qui vi, ac dolo dentem euulserit.

- 5 Postrema quaestio haec est, quid de verberante praedictos, an & hic excommunicatione hac obuoluatur? sicut etiam vulnerans? Ego breuiter concludo neutrum horum in excommunicationem hanc incidere. Primo, quia nulla verba huius Capituli illis conueniunt, aliud enim est interficere, mutilare, spoliare, & vulnerare, quae in ipso desiderantur, ex quo igitur verba dispositionis huius non conueniunt, nec dispositio. argumen. l. 4. §. toties. ff. de damn. infect. etenim ex diuersis non fit illatio. arg. l. Papinianus exuli. ff. de min. Praeterea quoniam, ubi canones volunt & verberantem comprehendere, id exprimunt, ut habetur in Clemen. 1. de homicid. ibi. Percusserit, quod significat idem, quod verberauerit, quod etiam facit Bulla haec in Cap. decimo, & in

Cap. vndecimo: ergo, ex quo hic non dixit, nec nos dicere debemus. argument. l. de pretio. ff. de publ. in rem act. Postremo facit, quoniam sumus in poenis, ergo strictior interpretatio facienda est. argumen. cap. in poenis, & cap. odia. de reg. iur. lib. 6. & l. interpretatione. ff. de poen. Concludo igitur nec verberantem, nec vulnerantem in poenam hanc incidere. Ex qua conclusione exceptionem habemus ad regulam propositam, alias vero exceptiones colligere possumus ex propositis regulis antea. Et haec, quae diximus de mutilante euntes ad Sedem Apostolicam, dicta esse intelligimus & de mutilante recedentes ab eadem. Sed iam ad reliqua transeamus.

Verf. Spoliant.

S V M M A.

- 1 Spoliare proprie quid sit.
- 2 Spoliare quot modis contingat.
- 3 Spolians hic quando in excommunicationem incidat.
- 4 Spolians euntem ad Apostolicam Sedem in excommunicationem incidit, quae excommunicatio, quousque pateat, declaratur.
- 5 Spolians uxore sua maritum euntem ad Apostolicam Sedem, an in excommunicationem incidat.
- 6 Spolians euntem ad Apostolicam Sedem an in excommunicationem incidat.

dat, si ijs rebus eum spoliaret, quas ei accommodauit.

- 7 Spoliatus euntem ad Apostolicam Sedem quando in excommunicationem non incidat.

Hic tertia causa habetur, quam Hobrem in excommunicationem quis incidit ad Apostolicam Sedem accedentes, recedentesve offendens: quæ est, ubi quis eos spoliaret, quam excommunicationem ut dilucidior, habeamus, præmittenda hæc sunt. Primum quid sit Spoliare. Item quot modis quis spoliare dicatur, & in quam partem hic accipiat. Postremo, quibus rebus prædictos spoliando in excommunicationem hanc quis incidat.

- 1 Quoad primam igitur Spoliare proprie nil aliud est, quam spolia alicui inuito eximere, atque exuere. Hinc Cicero pro Plancio inquit. Est enim grauius spoliari fortunis, quam non augeri dignitate, & de hoc primo satis.

- 2 Quoad secundam duobus modis spoliare contingit iuste, & iniuste. Iuste, ubi hostes spoliantur, iudice legitime procedente auctore. Hinc Livio lib. 1. inquit Regem in prælio obruncat, & spoliaret. Iniuste vero, ubi in aliis casibus quis spoliaret, & in hoc casu dicitur proprie, & sumitur pro prædari, & turari. Hinc Terentius in Hec. quin spoliatus, mutiles, laceres, & in hanc partem hic accipi-

tur, ex quo enim excommunicantur, qui spoliaret, in deteriore partem accipiendum hoc est, quandoquidem pro delicto, non autem pro virtute poena infertur. argum. ca. 2. de iis, quæ sunt a maiore parte. capitulo. in fine, & l. sancimus. C. de poen.

- 3 Quoad tertium denique et si spoliare duobus modis contingit, rebus scilicet mobilibus, & immobilibus, ut in capitulo. ex transmissa. & in capitulo. litteras, & in capitulo. sæpe, & toto tit. de restitut. spoliatorum tamen hic pro spoliato prædictos re mobili accipiendum est, nam Ecclesia hos tueri vult in iis, quæ secum habet, quo iter peragere possint, quod non contingit in rebus immobilibus, quas secum ferre nequeunt. His sic præmissis, iam regulam de more ponamus.

- 4 In excommunicationem hanc igitur incidit, qui spoliaret euntes ad Apostolicam Sedem. Quæ excommunicatio afficit, quicumque is sit, qui spoliaret, ut in antecedentibus regulis etiam diximus, vel priuata persona igitur sit, vel publica, & ob id iure magistratus tales spoliaret, modo iniuste id faciat, in excommunicationem hanc incidet. argum. c. conquerente. de restitut. spol.

Item excommunicatio hæc afficit, vel vi, vel dolo quis spoliaret, vi aperte aggrediendo prædictos, ut latrones, & exules superiorum temporum in his regionibus faciebant, dolo, ubi furtim, quod fu-

fores facere consueuerunt. argu.
 §. furtum autem, vel a Furto. in An
 sit. de oblig. qua ex delict. nasc.
 Dolo etiam, si promittat se eos tu
 tos ducturum per aliquem locū,
 ubi latrones adesse inquit, cum id
 falsum sit, modo tantum pecuniæ
 illi tribuant.

Tertio afficit excommunicatio
 hæc, quicumque sint, qui spolian
 tur, vt diximus in prima regula
 huius Capituli, vel igitur sint chris
 tiani, vel non christiani, priuile
 gium hoc habebant, nam concess
 sum illud est in fauorem Aposto
 licæ Sedis, ac propterea nemo al
 terius vitio priuari eo debet. argu
 men. cap. si diligenti. de for. com
 pet. & capit. contingit. de sentent.
 excom.

Quarto excommunicatio hæc
 afficit, quibuscunque rebus ipsos
 quis spoliet, nam Bulla non distin
 guit, ergo nec nos distinguere de
 bemus; argumen. l. de pretio. ff. de
 publ. in rem act. Vel igitur pecu
 nia, vel pannis, seu vestibus, vel iu
 mentis tales quis spoliet, in excō
 municationem hanc incidit. † At
 quid, si quis adimeret uxorem,
 quam secum duxit, vel filios, vel
 seruos, quos in potestate habet,
 ad Apostolicam Sedem vadēs, an
 in excommunicationem hanc inci
 det? Ego censeo & hunc pœnam
 hanc non euadere, nam & uxore
 quis spoliari dicitur, argumen. ca
 pitu. ex transmissa, & c. ex eoque
 stione. de resti. spol. quodcunque
 igitur sit, quod auferatur, pœna

hac quis plectitur. Id quod locum
 habet, non solum, ubi rebus omni
 bus spoliatur, quod dubitatione ca
 ret, verum etiam & ubi aliquibus,
 tum quod Bulla non distinguit,
 vt iam dixi, tum quod qui spoliatur
 quem aliquibus rebus eum vere
 spoliatur, & sicut Bullæ verba conue
 niunt, ergo & dispositio, argum.
 l. 4. §. toties. ff. de dam. infect. tum
 quod valet argumentum de toto
 ad partem. arg. l. que de tota. ff. de
 rei vind.

Quinto excommunicatio hæc
 afficit hos spoliante, vel res sint
 ipsorum spoliatorū omnino, vel
 quo ad vsum tantum, vt pote, quia
 fuerūt ipsis accommodata, nam,
 quod ipsarum cura ad eos perti
 net, ob eam rem sua dici possunt,
 quamobrem etiam sit, vt actionē
 furti contra auferentem etiam ha
 beant. §. furti autem actio. in Inst.
 de oblig. qua ex delict. nasc. Ad do
 Bullam non distinguere, quibus
 rebus spolientur accedentes ad
 6 Romanam Curiam. † Verū quid
 si is, qui res tales eis accommoda
 uit, hos ipsis expoliat, an in pœnā
 hanc incidet? Ego censeo hunc in
 excommunicationem incidere, vt
 ubi ad eum finem accommodauit,
 vt ad Apostolicam Sedem secum
 ferre possent, vt pote equum, ve
 stes, arma, & id generis, nam iniu
 ste facit, ex quo a contra eum disce
 dit, cum contractus ab initio vol
 untatis, & postea necessitatis sint,
 argu. pen. l. sicut. C. de acti. & obl.
 præterea obligatus est permitte
 re,

re, vt accommodatis rebus ad eū finem vtatur, cuius gratia accommodatae sunt, alioquin tenetur, & peccat, vt habetur in cap. 1. de cōmodat. & in l. in commodata. ff. commodat. & not. Nauar. in Manual. cap. 17. nu. 182. Verum quid si res ipsas accommodauit, non vt secum ferret, sed vt domi vteretur, an auferendo in pēnam hāc incidet? Et quid si ad Apostolicā Sedem accedens spoliatur rebus, quas furatus est, ab ipso domino? Ego sic distinguendum censeo. Aut auctoritate iudicis dominus rei eum spoliat, & in hoc casu hūc in excommunicationem non incidere concludo, non enim peccat, qui auctoritate iudicis aliquid cōsequitur. argum. l. iuste possidet. ff. de acquir. possess. & l. Gracchus. de adulter. Aut sine auctoritate iudicis res suas auferat, & in hoc casu, si periculum est, ne ipsas amittat iudicem ad eū, licet eas auferat, nam & debitorem fugitiuū auctoritate propria capere possumus, vt habetur in l. ait prator. §. si debitorem. ff. de ijs, qui in fraud. credi. not. Ial. in l. vinum. nume. 3. ff. si cert. pet. Aut auctoritate iudicis suum cōsequi potest, & in hoc casu in excommunicationem hūc incidere cēseo, nam iniuste facit, ex quo p̄pria auctoritate sibi ius dicit, cōtra C. ne quis in sua cau. iudicet, quamobrem etiam puniatur, vt habetur in §. ita tamen. in Instit. de vi bon. rapt. & facit quoque cap. 1. de resti. spol. Vel igitur

res furtiuae sint, iniuste spoliari praedicti non debent, alioquin in excommunicationem spoliantes incident.

Postremo excommunicatio hāc afficit spoliates, etiam si res quas auferunt, per aliam personam hiferant, utpote per mulionem, & id generis, modo tamen spoliantes sciāt res tales horum esse, alioquin si id probabiliter ignorent, pēnam huius capituli euadent, argum. cap. si. de constit. lib. 6. & cap. Apostolica. de cler. excommunic. nisi. Sicut etiam in excommunicationem incident, qui famulos, quos secum ducunt, suis rebus spoliant, quandoquidem eodem privilegio, quo sui domini fruuntur. argument. capit. licet. §. fin. de priuil. lib. 6. Hi ergo in excommunicationem hanc incident, iam qui pēnam hanc euadunt, explicemus.

7 Primum igitur in excommunicationem hanc non incident, qui hos iuste spoliant, utpote auctoritate iudicis, vt vidimus supra, vel quia spoliati ab eisdem incontinenti eosdem spoliauerunt. argument. capitul. olim. de restitutio. spoliat.

Item in excommunicationem hanc non incident, qui rebus hos spoliant, quas domi reliquerunt, vel sint mobiles, vel immobiles, nam privilegium hoc concessum est pro rebus, quas secum ferunt in itinere, non autem pro ijs, quas domi reliquerunt, eas enim ordinario

mario iure tuendas reliquit, quamuis si ordinarii locorum suos subditos pro suis negotiis ad Apostolicam Sedem euntes beneficiis priuent, priuatio nulla sit, & ipsi in censuras incidant, vt habetur in extrauag. diuina. de priuil.

Postremò pœnam hanc euadunt, vbi rem paruam hisce subripiunt ob rationes, quas diximus. Sed de hoc satis, ad reliqua descendamus, si illud prius addiderimus, quæ de spoliatis euntes ad Apostolicam Sedem diximus, & ad spoliates ab ea recedentes pertinere.

Verf. Capiunt.

S V M M A.

- 1 Capiunt eos, qui ad Sedem Apostolicam eunt in excommunicationem incidunt, quæ excommunicatio, quousque pateat, declaratur.
- 2 Capiunt eos, qui ad Apostolicam Sedem eunt, quando in excommunicationem non incidunt.

IN hac parte excommunicantur capiunt eos, qui ad Sedem Apostolicam eunt, vel ab ea recedunt, & quoniam quid sit capere, & quid hoc significet, satis notum est, ob eam rem eius explicatione ommissa, regulam more nostro ponamus.

In excommunicationem hanc

quæ

igitur, incidunt, qui capiunt eos, qui ad Sedem Apostolicam eunt, vt diximus. Quæ excommunicatio afficit prædictos in omnibus casibus, in quibus eam interficiētes, ac mutilantes afficere antea diximus. Vel per se igitur, vel per alios id faciant, excommunicatione hac obligantur.

Item excommunicatio hæc afficit, esto capti ratione quapiam capientium manus effugiāt, nam ex quo Bulla tales ipso iure excommunicat, statim atque hosce ceperunt, in excommunicationem hanc incident. argument. capit. pastoralis. §. fin. de appellat. esto igitur deinceps eorum manus euadant, sponte dimittant, non idcirco tamen excommunicatione absoluentur. argu. cap. cum de fideres, & capit. peruenit, de sentent. excommun. At quid de mandante capi, vel iubente quid iuris, si hunc mandati peniteat? Hoc alibi declarauimus, iam eos qui pœnam hanc euadunt, ponamus.

- 1 Primum igitur in excommunicationem hanc non incidunt, qui in ijs casibus capiunt, in quibus & interfici, mutilariue ipsos posse antea diximus. Quare si quis hos capiat ob delictum aliquod, quo a iudice puniantur, vel ne in manus hostium incidant, neve periculum aliquod adeant, vel etiā ioco, excommunicationem hanc euadēt, ex quo. n. talis pœna infertur, ubi dolus adest, inferri existimatur. argu.